

12

1659 5

18

OPE DIVINA,
ET A MAGNIFICO ICTORUM ORDINE
FACTA POTESTATE,
DISSERTATIONEM

ad
**JUS MARITI-
MUM**

Spectantem,
PRÆSIDE,

Dn. JOACHIMO Nergern/GRY-
PHYMONTE SIL: J. U. L. CURIÆ PRO-
VINCIALIS, SCABINATUS & Facult: Jurid: Proto-
Notario, nec non Consistorii Ecclesiastici, quod hinc est,
Advocato Ordin ario,

P. 166

placido examini subjicit
BENEDICTUS Strauß/ VVitteb. Saxo
A. & R.

In Auditorio JurisConsultorum
ad Diem Aprilis.

N. 45.

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
Anno M DC LIX.



28.

fua
i vi-
dei-
cam
, in
mo-
line
: &
ufas
g. &
st. 2.
ere-
. ap.
dita-
fuit.
pro-
n-



OPUS DIVINA
ET A MATHINCO HISTORICIS ORDINE
FACTA NO. 1744
DISSERTATIONEM

MISSALIA

MUNI

DIOACONIA



1744





A. Z.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi, exemplo Sacratissimi Imperatoris Nostri, ad hunc actum progrediar, l. 2. C. de off: Praef: Praetor: Afr. Bene namq; universa geruntur ac competenter, si rei principium fiat decens ac amabile Deo, Nov. 6. in pr. cujus sine beneficio nihil nos dignum agere cognoscimus, l. 1. d. t. C. de off: praef: Praet: Afr: Minimè ergò confidamus ingenio nostro: sed omnem spem ad solam referamus Providentiam summae Trinitatis, unde & mundi totius elementa proceserunt, & eorum dispositio in orbem terrarum producta est: Constit: de Concept: D. ad Tribon: Ut igitur benignissimum Numen conatus hosce meos secundet ac prosperet, & laboribus meis benignè annuat, contendo ab Eo devotissimà prece; Quo Autore & Adjutore esto,

A 2

§. i. Deus

DEus ter Opt: Maximus universi hujus effector & gubernator, eo potissimum fine molitus est mundum, & copiosissimo apparatu eundem instruxit, ut eum homini, nobilissimo creaturarum, & in quem sui ipsius imaginem cum utriusq; mundi simulachro impreserat, tanquam peculium ornatisimum possessionemq; traderet. Hinc *Seneca 2. de benef: C. 29.* iniquos hujus tanti muneris censores increpans; quanto satius est, inquit, ad contemplationem tot tantorumq; beneficiorum reverti & agere gratias Diis, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt secundas sortiri, quod terrenis præfecerunt. Istam divinæ donationis formulam integram non pigra- bor ascribere: quæ his verbis *Gen. 1. vers. 28. legitur: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam: & dominamini piscibus maris & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Hinc obsecundarunt homini divinâ providentiâ instigatæ animantes, id est, subjectionis animum ipsis Deus indidit, ut se homini ultrò offerrent, qui familiariter introspectas propriis ac naturæ cujusq; convenientibus nominibus discriminavit. Ut ut verò protoplasti infaustissimo suo lapsu se Dominio hoc indignos reddidissent, repetitum tamen ivit Numen hanc ipsam suam liberalitatem Noacho suisq; *Gen. 9. v. 2. ita: Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia Terra & super omnes volucres cæli, cum universis, quæ moventur super terram: Omnes pisces Maris manui vestre traditi sunt &c.* Quod imperium vim suam maximè adhuc monstrat in terrore, dum, viso homine, fugâ correptæ bestię sese abripiunt, pusioniq; baculo, in-
star

star sceptri utenti secula aliquot ferarum parentitum in-
dustriâ, dum vi& armis eas coercemus, hinc frena, hinc
juga, hinc tot in eas excogitatae insidiae, quas Venationes
appellamus.

§. 2. Donatio hæc an toti humano generi, an soli
Adamo post mundum conditum concessa sit, ambiguo
Marte inter Doctores disceptatur; adeò ut vix scias, qui-
bus herba porrigenda sit? Ipsemet solo discendi studio
ardens, utriusq; partis quædam rationum momenta per-
pendam; Donationem istam toti humano generi vendi-
cantium hæc sunt; Quorsum tot tamq; vasta regionum
spatia, tantus agrorum proventus, & dives adeò rerum
omnium supellex, si non plures quam duos divina in-
tuita fuisset Liberalitas? Et quid quæso apertius ipsa divi-
næ traditionis formulâ; in qua concessioni potestatis
subjiciendi orbem terrarum, benedictio divina, cujus
virtute multiplicandum esset genus humanum, expressè
præmittitur. Imò, quidni Deus ab initio generi huma-
no jus in res hujus Inferioris cum à mundo condito, tum
eo post diluvium reparato contulisset? Quâ concessione
omnia communia videntur aut indivisa fuisse, veluti
unum quasi cunctis patrimonium;

Ne signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat; in medium quærebant

Sic:

--- --- Pervium cunctis iter

Communis usus omnium rerum fuit.

Abeliq; pecora & compascua sua, Caino verò agros &
fata sua fuisse, infantilis orbis ætas docet; nec proletarium
argumentum in ipsâ divinæ traditionis repetitâ formulâ
Gen. 9. ubi non Noacho tantum sed, singulis Noachidis id

A 3

juris

juris cesit. Facit pro alterâ parte, quod *Lactantius Divin: Instit: l. 5. seu de justitia C. 5. habet*; Non est, ut existimemus, nihil omninò tunc temporis fuisse privati; sed more Poëtico figuratum, ut intelligamus, tam liberales fuisse homines, ut natas sibi fruges non includerent, ne soli absconditis incubarent, sed pauperes ad communionem proprii laboris admitterent. & *Eccles: C. 17.* exsertè unico hominum pari divinam hanc liberalitatem defert; & cum Adamus, ut Adamus, solus potestatem occupandi universum hoc habuisset, à natura hujus proprii alienum esset, alios admittere. Sed hîc immorari non licet: cum, quod quidam volunt, meritisumo suo, ferarum, volucrum & piscium dominium Principes jam suum fecerint, jus enim venandi territorio Eorum cohæret: aut juris Gentium venatio subditis, utut his illâ interdictum fuerit, illibata adhuc maneat: Non possum facere, quin hîc *Cl. Strauchii ex disert: de Imp: Maris C. 8. §. 5.* verba adscribam hæc: Sic, etsi venatione subditis interdicatur, nihilominus manet venatio juris Gentium: sufficit enim Principem esse, qui non alio, quam Gentium jure facere feram suam potest, & supervacua est disputatio, quo jure interdican venatu subditos Magnates. Quod alii præscriptione, alii occupatione, alii servitute constitutâ, alii aliter fieri volunt. Sed faciunt & facere potuerunt jure optimo maximo Imperii.

§. 3. De Maris conditione, utrumne illud commune, & in quod nemini competat jus, an ejus naturæ sit, ut occupantis imperio subjici queat, non minor doctorum controversia gliscit? Verùm, sit, quod jure Gentium Mare liberū fuerit, per ea quæ tradit Cicero *l. Offic: ita verò sonant*

nant verba : Quid tam commune quàm mare fluctuan-
tibus, littus eiectionis, & Ovidius Sexto Metamorph :

Quid prohibetis aquas, usus communis aquarum est,
Nec solem proprium natura nec aëra fecit,
Nec tenues undas; ad publica munera veni.

Et jure nostro id tralatitium est. Moribus tamen tempo-
rum ab eo valdè recessum est, ita ut mare & littora ejus-
dem dominio Regum ac Principum adscripta habeantur,
nec liberum amplius mare sed clausum videatur.

Excell: Suevus Velit: 6. additam: 1.

--- -- Hic cepit leges & condere regna,

Injecit pariter vincula & ipse mari.

Nec clausit penitus, nec promiscè omnibus undas

Et certâ voluit lege patere Thetin.

Cl: Buchnerus noster.

Nescius quidem haut sum, multos adhuc esse, qui persua-
sum sibi habent, mare in laxitate naturali ac promiscuo
usu semper fuisse nec Dominio alicujus subijci posse; Ve-
runtamen, quemadmodum terra & littora occupatione
& longinquo usu quin possint fieri alicujus, ut statuamus
quid vetat? *arg: l. 14. ff. de injur: l. 3. pr. ff. ne quid in loco publ:*
quod maximè respectu partium, hoc est, quæ interiora
sunt maria, non verò totius, id est maris exterioris uni-
versi seu Oceani verum est, *Exc: Klengel de jure Limit: th.*
21. Sic & Grotius de jure B. & P. C. 5. (Quem, Virum ingentis
eruditionis & rerum humanarum divinarumq; Scientissi-
imum appellat Selden: lib. 1. de mari clauso C. 26. aliter ac de
eo Dn. Thabor in Racemat. Rubr. Analysis Legum C. de fur-
ris p. 299. judicat; Ita nimirum ajens: solent Philosophi isti
ex puteis aliorum undecunq; corrasa pro suis venditare,
ut

ut Panfophorum nomen & venerationem ab imperitâ
juventute & multitudine emercentur) *vid. S. Loccen: de
jure Maritimo, lib. 1. C. 4. §. 3. ibi, si discrimen inter impe-
rium maris universale S. particulare, ejusq; modum ritè at-
tendatur.* Minimè enim contemplamur amplum istum
Oceanum, quem Sacræ Literæ abyssum aquarum appel-
litant, qui reliqua omnia suâ vastitate & magnitudine su-
perat, & solius Numinis dominio subjacet, sed mare istud
particulare, uti vocant, seu interius, quod imperio Regis,
Principis aut reip: subesse potest, quatenus in ejus ditio-
ne est. Nec repugnat proprietati huic inexhausta maris
sufficiencia vel abundantia: Quin potius vertendum hoc
dixerim; Quia tantæ magnitudinis mare est, ut ad omnes
usus sufficiens sit, potuit per partes occupari, citra cujus-
quam injuriam, quoniam semper supersit tantum, quan-
tum aliorum usibus satis sit. *Ampl: Job: Strauch/ Antec:
Jen: C. 2. th. 8. de Imp: Mar: Ac, nonne candela mea tanti est
splendoris, ut pluribus ea sufficere, & ex ea etiam aliæ ac-
cendi possint, num propter sufficientiam hæc indignè
mea sit? Quemadmodum enim nemo negat, culmos
messis meæ, meos esse, adeoq; & detritas de hisce spicas,
itemq; aquam per tubos subterraneos in labra mea col-
lectam, meam esse; & tamen in usus promiscuos spicile-
gia atq; racemationes, superfluum deniq; aquæ per tu-
bos colliquatæ, der Abfall/patere, experientia docet, se-
cundum regulam communem: Quod tibi non nocet &
alteri prodest, omninò ei communicare debes; ita nihil
impedit, alio atq; alio respectu quidvis aliud in Domi-
nio esse & non esse. Quin quod proprietas rei, aliûs
usum, quàm domini, non excludat, in privatorum rebus
vel*

vel usus fructus & usus doceat. Et uti agellus meus pro-
pterea non desinit mihi proprius, inq; dominio esse
meo, si Titius in eo usum & fructum habeat: ita mari nec
obstabit communis ejus, certâ quadam ratione, usus,
quominus, non tantum Imperio populi, de quo forsan
minus dubii, sed & dominio sit. *Dn. Job: Strauch Antec: Jen: C. 3. th. 2. de Imp: Mar:*

§. 4. Navigationem ipsam & præcipuè quidem com-
moditates ejus ac utilitates, si vellem recensere, latis-
simum ingrederer campum, unde tam citò pedem efferre
non sineret me rei dignitas. Sanè fructuosa ista & ad mul-
tiplices res faciliùs minoreq; impensâ transferendas
maximè ea conveniens est. Quis modò satis ac dignè
explicit facilitatem hinc ad mutua commercia nobis da-
tam? Ne enim itineris longitudo impedimentum, alio-
rum intrare regiones, adferret, breviorẽ viam, per ma-
re sc: invenit antiquitas, ut mundum tanquam unam
domum communiter inhabitantes, crebro nos invicem
viseremus, & apud se nata quisq; alteri communicans vi-
cissim commodè acciperet res apud illum abundantes,
ac sic exiguam tenens terræ partem, ita tanquam si tene-
ret universam, frueretur ejus, quæ ubivis sunt, bonis. Li-
cet itaq; nunc tanquam in communi mensâ convivarum
unicuiq; ea quæ sibi apposita, dare alteri longiùs accum-
benti, ac contra quæ apud ipsum sunt, accipere manu
tantum extensâ. Et hoc optimè juri naturæ convenit.
Cum enim omnia apud omnes hominum usui neces-
saria non proveniant, ex noto Poëtæ dicto;

Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt,
Ideo natura velut fida humanæ necessitatis ministra sic
ordinavit, ut usibus hominum per navigationes & com-

B

mer-

mercia succurreretur, & societatis humanæ vinculum conservaretur.

§. 5. Dum in præcedenti tertia affirmatum, Mare Dominio Principum subjectum esse, operæ pretium erit inquirere, an advehendis mercibus in eodem vectigalia imponi possint ab Eo, qui in terra imperium habet? Et quidem vectigalia hodierna luce Regalibus adnumerari certum est per *C. un. qua sint Reg. 2. Feud. tit. 56. l. 7. C. de SS. Eccl. Berl. p. 3. 52. 19. Schulz: in Synop. Feud. C. 7. n. 122.* Unde nulli licitum sine privilegio & permisu Principis vectigalia constituere, *l. 10. ff. de vect. l. 3. C. de nov. vect. inst.* ob eam præprimis rationem, quia vectigalium jus maximum est, und gehöret zur Keyserl: hohheit und besondern Reservaten / *R. A. zu Regensburg Anno 1576. §. dadurch denn cum §. seqq.* Quo facit textus in Schwaben Spiegel / Landrecht *Cap. 12. n. 4.* Alle Zöll und Münzen die in Römischen Reich seynd / die sind eines Römischen Königes / und wer sie haben will / Er sey Pfaff oder Ley / der muß sie haben vom Röm: Reich und dem Römischen König / und wer das nicht thut / der frevelt am Römischen Reich / *§. num. 3. C. 12.* Wir verbieten allen und jeden / die in unserm Reich seind / daß Sie keinen Zoll nehmen ohne urlaub. *nec enim permittendum, exactione vel plurium vel omnium augere rem privatam, quippe quod vel maxime à re, hoc est, utilitate publica alienum est. Dn. Meier: in Colleg. Argent: de publ. §. vect. §. 6.* Neq; hoc dictu mirum est, quippe multum vectigalia ad Principatus sustentationem faciunt: Imperium, ait Cicero, sine vectigalibus nullo modo retineri potest, & vectigalia patri-

monium

monium Imperii & ornamenta Pacis ac belli subsidia
vocat *Florus*, lib. 3. C. 13. Imò, *Tacitus* 4. *Hist.* C. 74.
inquit: Neq; quies gentium sine armis, neq; arma
sine stipendiis, neq; stipendia sine tributis haberi
queunt. Unde iterum referente *Tacito*, lib. 13. *an-*
nal. Neronem omnia vectigalia abrogantem, me-
rito Senatus Romanus nimium profusæ liberalitatis
arguit. Quæ ipsa ergò iniquè non postulantur, cum
enim protectio & defensio viarum publicarum navi-
gationumq; ad Principes pertineat, ratio suadet, ut
emolumenta inde provenientia etiam ad ipsos Princi-
pes spectare debeant l. 13. l. 3. de off: Pras: l. 1. §. 12. ff. de off:
præf: urb: Gail 2. obs: 64. n. 2. qui defensionem seu salvum
conductum præstant vel literis securitatis (uti istas vo-
cant) vel adjunctis militibus & stipendiariis, qui custo-
diam transeuntibus præstant, das persönlich oder le-
bendige Geleit/quod hodie communiter dicimus Con-
voyren. Originem indicat *Glos: in art. 8. Weichbild-*
vers: Münz und Zoll / Verba hæc sunt : Denn vor-
mahls da die Leute miteinander kriegten / und sich
das Volck nicht geregen dorffte/da sahten die Römer
in dem Lande/ daß man Boleten nehmen solte / (daß
ist Gelait-Brief) und von dem man Boleten neh-
me / der solte den nehmer schadlos halten binnen sei-
nen Geleit/und daß war von des Reichs gunst zuge-
geben denen Fürsten / daß Sie davon Strassenreiter
hielten/die das Volck beschirmeten/ das gastweise in
ihr Gebiete kehme/Quod & hodie nonnullis in locis ob-
servari videtur, daß die Ausreuter die Strassen zur
Zeit der Messe bereiten müssen. In hisce territoriis di-
citur, auffn halt Reuten / quod plerumq; tanquam



Feudi onus Prætoribus vel Scultetis certorum districtuum & pagorum (in vern: **denen Landschulzen**) incumbit. Quod ut plurimum fit, cum mercatores ad nundinas eunt, quando enim nomina sua profesi sunt, pecuniã (**Glaidgeld**) solutã, securitate accepta, (**Glaid nehmen**) securi transeunt territorium illius Principis, à quo securitatem nacti sunt. *Wehn: obs: Pract: verb: Glaid.* Quæ & ad vectigalia marina seu angarias, ut vocant, applicari possunt, vide *Stypm: de J. M. p. 1. C. 7. n. 11. 12. Loccen: de eod: lib. 1. C. 5. th. 5.* Ac nonne in mari suam Princeps præstat operam, quando navigationes adversus piraticas excursiones defendit? *Arnold Vinnius ad §. 1. Instit: de R. D.* qui enim latrones ac prædones in terra dicuntur, ii in mari sunt Piratæ, navigantium securitatem turbantes *l. 3. §. 1. ff. nautæ, caup: l. 14. pr. ff. commodati, l. 19. §. 2. ff. de capt:* quo fine naves exploratoriæ & excursoriæ, ut securitatem maris explorent ac tutentur, mareq; à malis istiusmodi hominibus purgent, haberi solent; hinc non modo naves prædatoriæ & piraticæ (ut Livius istas appellat) licite diripiuntur, *Auth: Navigia C. de furtis*, sed & ipsimet piratæ ab occurrentibus impunè læduntur, ac severissimis pœnis subjiciuntur, *Auth: sed nove jure C. de serv: fug: Nov. 134. Cap. 13. vers: eos verò.* Recte ergò Principes propter operam in defendenda & conservanda navigatione adversus insidias & invasiones Piratarum præstitam, navigantibus vectigalia, gabellas & collectas imponunt, *Franzk: exerc. 4. quest. 1.*

§. 6. Cum ergò Principes optimo jure tali beneficio gaudeant, non levem hic prævaricantibus pœnam dicunt, quippe, si per dolum non solvatur vectigal, res in
com-

commisum cadunt *l. 14. ff. de publ. Exc. Goth. Suedus Feud.*
5. th. 6. in fine, Wurms: Exerc. Jur. publ. 6. th. 6. § seqq. Quod
plerumq; contingit, cum mercatores & aurigæ cum
mercibus quas vehunt, à regia solitaq; via deflectunt &
alià transeundo telonia declinant: non enim per aliam
viam eundi quisquam habet facultatem, nisi per quam
cursus publicus stare dignoscitur, *l. 2. C. de cursu publ. ex*
justa tamen causa hic devians excusatus erit, ut si flumen
sic abundasset, ut impletet omnem locum, in quo iri
oportuit, vel aliqua fortuita calamitas eundem locum
evertit, l. 2. §. 8. ff. si quis caut. in jud. tunc non debent
merces fisco vindicari, l. 15. l. ult. §. 8. ff. de public. Sicq; res
sefe habet cum navibus ipsis; jactatæ enim & expulsæ er-
rore itineris, vi aut tempestate in alienum portum, velut
ad alienum præsidium confugientes, ex communi gen-
tium jure fidam stationem habere libereq; recedere so-
lent,

Sive errore viæ, seu tempestatibus acti
(qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)
Fluminis intrastris ripas portuq; sedetis
Ne fugite hospitium.

Et eo tendunt privilegia ab Imperatoribus istis concessa.
Nulla enim vis Nautis fieri debet, & si quis fecerit, seve-
rissimè puniatur *l. 1. §. ult. ff. ad L. Jul. devi priv.* Quæ-
cunq; naves, inquit, Imperatores Honor: & Theodosius,
ex quolibet portu seu littore dimittuntur, nullam con-
cussionem vel damna sustineant. Sed plura hac de re vid.
th. 10.

§. 7. Non immerito verò talibus gaudent privilegiis
mercatores, cum nonnunquam periculis multis sint

B 3

impli-

impliciti. Mox naves deprehensæ ventorum adversantium tempestate aut merguntur scopulis, jactantur certò miserè quasanturq; partibus omnibus, adeò ut intrans mare haut dubitet quin vitam suam objiciat ventis ac grassantibus fluctibus; hinc Poëta

I, nunc & ventis animam committe, dolato
confusus ligno, digitis à morte remotus

Quatuor aut septem si sit latisima tæda.

Imò, nescio quis eruditorum judicavit, navigationis inventorem, mortis inventorem fuisse, quippe exiguum certe lignum est, tam temere navigantes cui animas suas credunt, hinc Imperatores *l. 6. C. de off. rect. Prov. ajunt* navigationem sæpe periculofam & incertam esse hiemis tempore, hoc enim mare ad navigandum intempestivum, & Scriptoribus hieme maria dicuntur clausa, eà verò exactâ, aperta, ver enim aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonij hibernum molliunt cœlum: hujus rei cognitio & Jctis & negotiantibus, præprimis verò militibus necessaria, hinc Vegetius, major, ait, adhibenda est cautela, quando exercitus navigat cum liburnis, quàm cum privatarum mercium festinatur audacia. Hodie verò nunquam claudi maria, fervere non minus hieme quam æstate *Paulus Merula scripsit. Vide Henelium in Otio Uratislav. c. 29.* Magna igitur pericula metuenda navigantibus ex procellis, Syrtibus, cœcis & latentibus scopulis, hostibus, Piratis aliisque adversis, quæ *Tacitus Annal. 15. 46. 2.* Maris casus appellitat. Ast! ob adversa averfanda navigatio minime est, cū nec in terra desint mala, quæ bona comitantur; ob quæ tamen bona non fugimus. Ac nonne in terra iter facientes sæpe quasi
terre-

terrestre, ut ita loquar, naufragium patiuntur? dum gravi tempestate suborta in locis solitariis ac sterilibus, aut infidis arenis in aestate, aut acri hieme, & in viis superatu difficilibus, ipsis nivibus obruuntur. Imò, quam molestiam, quam injuriam in mari Piratæ, turbantes navium securitatem, eam in terra latrones prædonesq; pariunt, *l. 3. §. 1. ff. nautæ, caup: l. 18. in pr. ff. commodati, l. 19. §. 2. ff. de capt:* Agricola quidam fertur, aliquando ex nave quæsisisse, ubi parens ejus & avus mortem oppetiissent; respondit nauta: vel in navi vel in mari. Agricola, cur ergo, inquit, tu navem & mare non reformidas & vitas? Nauta contra interrogavit rusticum, ubi ejus majores obiissent, respondit rusticus: domi & in lecto; cur ergo, inquit nauta, domum ac lectum non horres ac refugis? Sic enim sese res habet, tam terræ quam mari curæ, pericula ac metus se socios addunt vel invitis.

§. 8. Nunc personas ipsas, quas ad navigandum adesse oportet, tangam: in frontispicio occurrunt exercitor & magister navis. Ille appellatur, ad quem quotidianas navis quæstus pertinet, *§. 2. Inst: quod cum eo qui in al: pot:* Germanice **Reeder/eigenthumbs Herr des Schiffes**. Hic verò, qui ab exercitore navi præponitur & cui totius navis cura mandata est *l. 1. §. 1. ff. de exerc: act: l. 57. ff. de V. S.* in vernaculo vocatur **der Schiffer**/ Et non tantum ille magister dicitur, quem exercitor præposuit, sed & ille qui à magistro substitutus est, *l. 1. §. 5. ff. nautæ, caup:* Hos sequuntur gubernator navis, qui clavum regit, **der Steuerman**/ qui navicularius, *l. 1. §. 2. ff. nautæ, caup:* item navicator interdum dicitur, imò, & nauta *l. 1. §. 2. eod: tit:* Nunc mesonauta, **der Haupt Bofman**/ qui

qui is dicitur qui medium locum tenet inter nautas
summos & imos, summos, ut proretas & gubernatores:
imos ut remiges: qui deniq; aliis remigandi signum præ-
bet; apud Platonem hortator dicitur, quia excursus &
exhortamenta moderatur, *Gothofr: in annot: ad l. 1. ff. nautæ, caup:* Præterea quidam sunt in navibus, qui custo-
diæ gratia præponuntur, id est, navium custodes & dicta-
rii, qui annonam navis administrant *l. 1. §. 3. ff. nautæ, caup:* Nunc remiges, hoc est, qui remos agunt, *die Ruder Knechte* / qui cesante vento, navem remigando propel-
lunt, *Dn. Meier: in Colleg: Argent: ad tit: Furti adv: naut: caup: Stab: th. 1. quæso videatur.* Quæ delibasse sufficiat.

§. 9. Res tempestate maris ejecta num domini ma-
neat num occupantis, disceptant inter se Doctores. Et
jure gentium quidem minime ambigendum, quin lapil-
li, gemmæ, conchilia & similia in littore maris inventa
occupantium fiant *§. 18. J. de R. D. l. 1. §. 1. ff. de A. R. D.*
Quæ enim nullius sunt, ea, ratione naturali, occupanti
conceduntur *l. 3. in pr. ff. de A. R. D.* Jam præsumuntur
è mari talium feraci ejecta nullius in dominio extitisse
Zoës: ad tit: de A. R. D. n. 19. Longe verò aliter res sese
habet cum mercibus ejectis, quæ minimè pro derelictis
sed tantum pro deperditis habendæ. Nonnulli quidem
concludere conantur, Mare & littora ejus subjecta si sint
Principum dominio, omnino quæ in eis inveniuntur,
eorum erunt. *Arumæus, Volum. 4. Fur: publ: Discursu 42. th. 43. & Bodinus lib. 1. de Rep: Cap. 10. pag: mihi 267. & seqq. de Gallie consuetudine:* Cum enim, inquit, Lega-
tus Cæsaris coram *Henrico II. Francorum Rege*, questus
esset, duas naves ad littus ejectas, & ab *Jordano Ursino*
captas

captas esse, easque restitui postulare: Annas Momorantius Magister equitum respondit: ea quæ ad littus fuissent dejecta, gentium jure ad Principes; qui littoribus imperant, pertinere. Verum *Covarruvias Tom. 1. Relect. C. peccatum de R. J. in 6. part. 3. §. 2. de thesauri invent. jure*, eleganter sententiæ huic respondet: Hanc consuetudinem, quod attinet, ego ingenuè fateor, me prorsus juxta æquitatis & justitiæ rectitudinem non percipere, qua possit ratione ea defendi; nam iniquam esse non dubito, nec video ex qua causa dubitari possit? Quid enim obsecrò naufragus miser fecit, ut dignus sit amissione rerum, quæ ad ipsum lege naturæ pertinent. Quid item Principem Christianissimum movere potest, ut tam impiam & crudelem consuetudinem probaverit, aut eam à judiciis observari promiserit. Et hoc est, quod Imperator Constantinus vult: res ejectas ad dominos pertinere. Quem *Carolus V. in Nemesi sua* sequutus est, *artic. 218.* Verba hæc sunt: *deßgleichen an vielen enden der Mißbrauch ist / So ein Schifman mit seinem Schiffe schifbrüchig wird / daß Er als denn der Obrigkeit dessen Orts mit Schiff / Leib und Gütern verfallen sein soll / 2c. Die und dergleichen gewonheit wollen wir / daß eine jede Obrigkeit abschaffen und daran sein soll / damit Sie hinfürder nicht geübet / gebraucht oder gehalten werden / als wir denn auß Keyserl: macht dieselben hiermit auffheben damit vernichtigen und abthun / und hinfürder nicht eingeführet werden sollen.* Quod æquitati congruum maxime est, minimè enim pro derelicto habendum est, quod dominus non ideo abjecit, quia amplius suum esse

C

non

non vult, sed alia mente: ac proinde id ejus, qui abjecit, manet, nec fit apprehendentis. *Arnold. Vinnius ad §. ult. Instit. de Rer. Div.* Pergit iste: qui enim oborta tempestate levandæ navis gratia res aliquas projiciunt, non hanc mentem habent, ut eas pro derelicto habeant, quippe si invenerint, ablaturus; & si suspicati fuerint, in quem locum ejectæ sint, requisituros: sed ut levatæ naves maris periculum effugiant. *l. 2. §. ult. ff. ad L. Rh. de jactu, l. 9. §. ult. ff. de Rer. Div. l. interdum 21. §. 1. ff. de acq. vel amitt. poss. l. 9. §. ult. ff. de A. R. D. Clar. Dn. Joachim. Schnobel. Disput. Pandect. 20. tb. 10.* furiis ergò infernalibus ludibrium debent illi impurissimi assentatores, qui persuadent Principi suo, omnia privatorum & merces ejectas hujus semper & ubiq; esse, de quibus non ineleganter Juvenalis:

Si quid Palphurio si credimus Armillato,
Quicquid perspicuum pulcrumq; est æquore toto
Res Fiscus ubicunq; natat.

§. 10. Propterea non dubitandum est: quin inventor harum mercium lucrificandi causâ eas detinens & non restituens, vel inventionem publicè non significans, furti teneatur, *§. ult. Instit. de Rer. Div. l. 43. §. 4. ff. de furtis, Coler: part. 1. Decis. 140. Schnobel. Disput. Pand. 20. tb. 10. Schneidew. ad §. ult. Instit. de R. D. quod §. 14. uberius deducetur.* Sed hæc de illis navigiis, quæ piraticam exercent pravitatem aut Christiano nomini inimica sunt tantum abest ut statuum, *Dn. Meierus in Colleg. Argent. de A. R. D. tb. 57.* ut potius asseram, dignas ipsis pœnas constitutas esse, ob insignem illam malitiam, quam exercent, dum in mari alienis inhiant navibus, commerciorumq;

ac

ac navigationum libertatem tollunt. Hodierna luce generali consuetudine receptum, ut piratæ capite plectantur, & juxta portus in terra palo infigantur, referente *Ampl. Dn. Strauch/ Antec. Jen. Cap. 9. th. 5. de Imp. Mar.*

§. II. Jactus non nisi naufragii metu præsentē ac justo laboranteq; nave faciendus est *l. 2. in pr. ff. ad L. Rh. id est, summâ, urgente & inexcusabili necessitate.* Si quis autem citra ullum vitæ periculum, non imminente maris tempestate, nec salutis causa aliquid de navi in mare ejecerit, pro derelicto id habitum censerī, cum *Petro Heigio ad §. ult. Instit. de R. D. fateor.* Aliter res sese habet, si compulsus necessitate urgente hoc facit, quando nimirum subita aut gravis procella tam vehementer jactat navim, ut naufragii certe malum instet, nisi jactu mercium navis allevetur.

§. 12. Merces jactæ quando sunt, damnum hoc contributione relevari debet. Æquissimum enim est, ut contributione omnium sarciat, quod pro omnibus damnum contingit, *l. 1. ff. ad L. Rh. de jactu,* præsertim contributione eorum, qui amisissis rebus aliorum suas salvas retinuerunt, alioqui perituras, atq; in hoc facti sunt locupletiores, *l. 2. eod. Dn. Habn. & Zoes. ad L. Rh. de jactu.* Quod quo fiat dilucidius, exemplo licet declaremus. Cum in eandem navim varia mercium genera complures mercatores coëgissent, prætereaq; multi vectores, sicuti & liberi, navigarent in ea, tempestate gravi coorta, necessario jactura facta erat. Quæsita deinde sunt hæc, an omnes jacturam præstare debeant: & si qui tales merces imposuissent, quibus navis non oneraretur, veluti gemmas ac margaritas: & quæ portio præstanda esset, & an etiam

pro liberis capitibus dari oporteat: & qua actione ea res expediri queat. Placuit interpretatione legis Rhodiæ, omnes, quorum quid interfuisset mercium causa servatarum jacturam fieri, conferre oportere, qua id tributum ex lege ob res servatas deberent. Itaque dominum etiam navis pro portione, quod navim habeat salvam, obligatum esse. Nam & est contrario, si quid ipse navis levandæ causa abjiciat, ut trabem, &c. contributio locum habet, *l. amissa §. in fin. hoc tit.* Agitatum etiam est, an vestimentorum cujusque & annulorum æstimationem fieri oporteat. Et omnium visum est, nisi si qua consumendi causa imposita forent: quo in numero sunt cibaria. Nec enim hæc unius sed omnium gratia imponi videntur: eo magis, quod si quando ea deficient, quod quisque habet, in commune ferre debeat, *l. 2. §. cum in eadem 2. ff. ad L. Rh. de jactu.* Corporum autem servorum fit æstimatione, non etiam liberorum: nam ne potest quidem: *l. liber homo 13. ad L. Aq. Wesemb. in Parat. ad hunc tit.* Non tamen contributio instituenda videtur, nisi res jactæ perierint, nam si postea recipiantur, collatio exoneratur, & quod contributum est, repetitur, *l. 2. §. 7. ff. ad L. Rh. de jactu.* Quocirca etiam si jactu navis levata, postea tamen tempestate pereat, nihil contribuendum est, nisi merces perditæ extrahantur.

§. 13. Non raro autem fit, ut navis plus æquo onerata, ex immoderata lucrandi ipsius magistri vel exercitoris aviditate, orta tempestate, adversus fluctuum insultum exurgere nequeat, sed opprimenda veniat, numne & ibi collatio instituenda? & respondet Paulus *l. 2. §. 1. ff. ad L. Rh. de jactu*: nullam faciendam esse collationem, si deterior

terior facta sit navis aut si quid exarmaverit: quia dissi-
milis earum rerum casus sit, quæ navis gratia parantur,
& earum, pro quibus mercedem aliquis accepit; Nam
etsi faber incudem aut malleum fregerit, non imputa-
retur ei, qui locaverit opus: sed si voluntate vectorum,
vel propter aliquod merum imperium id factum sit, hoc
ipsum sarciri oportet. Imò nec tunc culpa caret nauta,
quando imperitè & temere extra tempora convenientia
navem in periculum navigationis conjicit, sic si minus
idoneæ navi res imposuit, aut si magister navis sine gu-
bernatore in flumen navim immiserit, & tempestate or-
ta, temperare non potuerit, & navem perdiderit, per *l.*
item queritur 13. §. 1. & 2. ff. locati cond. Quando autem
navi integrâ & solidâ non plus onerata, justo ac legitimo
tempore iter ingreditur nauta, mox superveniente im-
petuosissima procella, tentatis prius omnibus, quæ nau-
clerum strenuum atq; peritum decent, levandæ navis
causa jactum permittit, satis futurum existimans ut pars
pereat quam totum, siquidem ex duobus malis eligen-
dum minus regula communis docet, contributio omni-
nò instituenda erit.

§. 14. An autem furtum committat iste, qui res ejectas
ad se rapit, quæsitum memini? *§. v. §. 10.* puto distin-
guendum esse, an nimirum rem sustulerit lucri faciendæ
causa, an minus, si prius, non negandum arbitror, quippe
cum omnes scire debeant, quod suum non est, hoc ad
alios modis omnibus pertinere, *l. ult. C. unde vi.* Nemo
enim tanta necessitate coactus, liberalitatem exercere
præsumitur, *l. rem legatam 18. ff. de adim. leg.* ac qui rem
invenit & istam non reddidit, rapuit istam. Ast, si non ut

C 3

lucre-

lucratur, sustulit, sed redditurus ei, cuius id esse postea apparuerit, furti non tenetur. Proinde si nescit cuius sit, recte probeq; faciet, si libellum proponat, aut ex suggesto publico faciat proclamari, se talem invenisse rem, & redditurum ei, qui suum id esse demonstraverit: Hoc enim facto palam ostendet, se non tulisse rem animo furandi, *l. falsus 43. §. 8. & seqq. ff. de Furtis. Schneidew. ad §. ult. Instit. de R. D.* sed domino restituendi, afflicti afflictionem diminuendi ejusq; fati miserescendi.

§. 15. Libello proposito, insinuationeq; præconis voce factâ, si nemo sese offert, qui rem ut suam repetat, nonne quod inveni, teneam dicamq;, quod Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Diverforum Doctorum diversa hac de quæstione sententia est; nonnulli putant, post propositum edictum, comparente verò domino vel non, inventori partem tertiam, alteram domino vel magistratui cedere, alii, rem inventam retinere inventorem posse, si pauper sit, dives verò si sit, vel in egenorum vel in Ecclesiæ usum eam convertere debere; Consuetudo forsan iudicium dabit, ad hanc enim, ubi non liquet, provocandum est.

§. 16. Cum navis fune rupto aut cum à nullo regeretur, quandoq; anchoris alligata fuit, in aliam incurrit navim eiq; damnum dedit, cuius tunc quæso culpa erit? Domini esse, quod non firmioribus funibus alligasset, & de gubernatore idoneo mature prospexisset, nonnulli Doctorum æstimant: Alii putant, distinguendum esse, 1. an navis quæ anchoris probe alligata stetisset, fune rupto forte incurrerit ac tales adhibiti sint funes, qui frangi non potuissent, cum nautas dubiis se maris fluctibus

bus non nisi firmisimis credere funibus & anchoræ va-
lidissimæ, testatur frequentissima experientia; proinde
cum hæc mera sint contingentia, domini culpa hic nulla
esse posset per *l. contractus 23. ff. de R. J.* adversus enim
vim tempestatis quæ facit ut navis non regatur, nihil po-
test humana virtus, *Dn. Meier. in Colleg. Arg. Dec. 3. C. 6. ad*
L. Aq. cum ferrum etiam & fortissima quæq; frangi dam-
nificis ventorum turbinibus posse, æquè notum est. Ut
enim ille, qui vi ventorum & fluctuum navem suam in
alienam impegerit & obruerit, non tenetur de damno
l. 29. §. 3. ff. ad L. Aq. ita & qui impetu aquarum obrui-
tur, nihil est, quod ejus culpæ imputari queat, dummodo
casum legitimè probet: *Anth. Perez, ad tit. Cod. de nau-*
frag. n. 4. 2. Si navis gubernatore destituta damnum fe-
cit, hæc verba, cum à nullo regeretur, non ita accipienda
sunt, ac si nemo præpositus, qui clavum teneret, sed qui
præsens quidem

at dum sidera servat
excusus puppi mediis effusus in undis.

Aut si servatus, turbantibus æquora ventis, clavum sentit
intractabilem, ita ut fatis navem committere habeat;
quo casu cum à nullo regeretur, utiq; nec cum domino
agendum esse respondet *Jetus in l. 39. §. si navis ff. ad L.*
Aq. quod egregie confirmant verba *l. 29. §. 4. in med. ff. ad*
L. Aq. hæc si tanta vis navi facta sit, quæ temperari non po-
tuit, nulla in dominum danda actio. Et hæc pauxilla illa
sunt, quibus primum in juris cathedra ingenii vires peri-
clitari volui, permittendum, putavi, quid juvenilibus co-
natibus, cum illud verbum verum sit, qui nunquam ma-
lè, nunquam bene. Horum verò concinnatorum ab
aquo

æquo lectore veniam expostco: littus hic ubiq; legere sa-
tius duxi, quàm in primo tirocinio in altum provehi, cu-
jus profunditatem ingenii mei bolide non explorare,
nec cymbula meâ enavigare habeo: numeroq; suo ab-
solutum quid ex jure in vulgus edere velle, eorum est
qui Themidis studiis innutriti sunt, à talibus verò in-
geniis discere mearum partium meaq; gloria est.

Corollaria

solummodò gemina hæc ob chartæ penuriam
apponere collibitum est:

1. *Usufuctu omnium bonorum legato, as alienum ex
omnibus rebus deducendum est, l. 69. ff. ad L. Falc. l. fin. ff.
de usufr. leg. usufuctuarius ergò aris alieni exolutioni sup-
positus non est, quod quidem Natta Tom. 1. Consil. 7. & Gui-
do Papa Dec. Gratianop. quest. 541 volunt; nec rectè hic
num. 1. per calendarium in l. 37. D. de usufr. leg. debita &
credita simul intelligit, id enim nomina duntaxat debito-
rum significat l. 64. D. de legat. 3. & l. 6. D. fundo instructo.*

2. *An Canonum Jure in C. 16. & 18. X. de Testam. filio
gravato, duas, unam Natura, alteram fideicommissi Jure,
quartas fas sit deducere, cum Domitio Labeone videtur qua-
ri, arg. l. 27. ff. qui testam. fac. & tamen in dictis Capitu-
lis de Voluntate Papa, jus in universum de geminâ detra-
hendâ Quartâ constituentis, nihil apparet; Suorum
enim Commissariorum sententias tantum
confirmavit.*

*Deo ter Optimo Maximo immortalis
laus esto.*

ULB Halle


3

006 302 114



VD 17







12

1659 5

18

OPE DIVINA,
ET A MAGNIFICO ICTORUM ORDINE
FACTA POTESTATE,
DISSERTATIONEM

ad

JUS MARITI- MUM

Spectantem,
PRÆSIDE,

Dn. JOACHIMO Nergern/GRY-
PHYMONTE SIL: J. U. L. CURIÆ PRO-
VINCIALIS, SCABINATUS & Facult: Jurid: Proto-
Notario, nec non Consistorii Ecclesiastici, quod hic est,

P. 166

Advocato Ordinario,
placido examini subjicit

BENEDICTUS Strauß/ VVitteb. Saxo
A. & R.

In Auditorio JurisConsultorum
ad Diem Aprilis.

8.45.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

Anno MDC LIX.



26.